

An Electo-
rum sit cer-
tus nume-
rus.

85. Prior quæstio duobus intelligi potest modis:
Nempe an Electorum numerus sit determinatus res-
pectu fatalis alicuius & absoluti decreti: Deinde an
certus sit respectu præscientiæ, vel potius omniscien-
tiæ divinæ.

86. Eo modo si sumatur quæstio, eam negamus.
Quemadmodum enim prædestinatio ipsa, uti ex præ-
cedentibus liquet, à nullo absoluto decreto pender;
ita neq; electorum numerus per eiusmodi decretum est
constitutus & determinatus.

87. Hoc verò modo Electorum numerum certum
esse apud DEUM, nullum est dubium.

88. Sic enim hac de re loquitur & statuit Form. Con-
cord. Dubium non est, quin DEUS exactissimè & cer-
tissimè ante tempora mundi providerit, & hodie eti-
am noverit, quinam ex eorum numero, qui vocati
sunt, in CHRISTUM credituri, aut non credituri sint:
qui ex conversis in fide perseveraturi sint, qui non: &
qui in peccata gravia prolapsi, reversuri, & qui in sce-
leribus perituri. Et haud dubiè eorum etiam numerus,
qui salvabuntur, & damnandorum DEO probè notus
est.

89. Hæc ita piè & Orthodoxè ex ipsis S. Scripturæ
fontibus explicat Concordia. Quia enim DEUS Omni-
scius est, isthæc quomodo scire, & quia omnia præsen-
tia habuit ab æterno & adhuc habet, quomodo & hæc
videre non potuisset?

90. Sunt etiam clarissima S. Scripturæ testimonia,
quæ sententiam hanc confirmant. Rom. 8. v. 29: *Quos
præscivit, eos etiam prædestinavit.* 2 Timoth. 2. v. 19: *Soli-
dum stat fundamentum Dei habens signaculum hoc: Novit
Dominus, qui sunt sui.*

Obiectio.

91. Inquis, perinde esse, sive fatali sive hoc modo
certus